



VINNIVS
SUPER
INSTITUTAM

I





R. 6386

Pidas
49

Sign. DR 1083

Reg. 36184 (G)

Autor: VINNIUS J.C., Arnoldus

Titulo: Institutionum Imperia-
lium Commentaries (Tomo I)

Fecha

Devuelto

Lector

2-XI-90

0591

Forney-Calks G.

Dcho. Romano



34(37) Just.
VIN

DR 1083

ARNOLDI
VINNII J.C.
INSTITUTIONUM
IMPERIALIUM
COMMENTARIUS.



TOMUS PRIMUS.



R. 6386



R. 26.184 (G)

D

INSTITUTION
VIA
INSTITUTION
IMPERIUM
COMMENTARII

TOMUS PRIMUS.



ARNOLDI
VINNII JC.
IN QUATUOR LIBROS
INSTITUTIONUM
IMPERIALIUM
COMMENTARIUS
ACADEMICUS, ET FORENSIS,

JO. GOTTL. HEINECCIUS JC.
Recensuit, & Præfationem Notulasque adjecit.

EDITIO NOVISSIMA

Correcta secundum Indicem Expurgatorium Hisp. an. 1747.
cui accedunt ejusdem VINNII


QUÆSTIONES JURIS SELECTÆ:
Cum Indicibus locupletissimis.

TOMUS PRIMUS.



CUM LICENTIA REGII ET SUPREMI CONSILII.

VALENTIÆ:
Apud Benedictum Monfort, anno M. DCC. LXVII.



MANUEL MONFORT, F.

EXCELLENTISSIMO
AC NOBILISSIMO DOMINO
D. PETRO PAULO
DE ABARCA ET BOLEA,
XIMENIO DE URREA,
ALAGONI, PONCIO MENDOZIO,
BOURNONVILIO, ET ERILIO,
BERMUDEZIO CASTRIO, BARDAXIO, OTOORNIO,
PEREZIO ALMAZANIO,
FERNANDEZIO DE HEREDIA ET HIIAR,
CASTRIO, ARAGONIO,
ZAPATAE, XIMENIO GALLOZIO,
PORTUGALIO, NAVARRAEO,
COMITI ARANDENSI
ET CASTELLI-FLORIDI; MAR-
chioni Turrium, Villanti & Rupiti; Vice-
comiti Ruedae, Viotae & Iochi; Baroni
Gavini, Sietami, Clamosae, Eripolii, Traf-
mozii, Matae Castelli-Veteris, Antillonii,
Almoldae, Cortefii, Iorbae, S. Genifii, Re-
bouilleti, Orcavi, ac S. Columbae Farne-
fii; Alcalateni Dynastae, Vallis Rodella-
*
ris,

ris , Castrorum ac oppidorum Maëllae
 Mefonum, Tiuranae & Villae-Planae; Ti-
 radelli, & Viladravi, *cet.* Viro ab origine ul-
 tima Aragoniorum progenerato; Hispa-
 niae Magnati Summi Ordinis; Equiti Vel-
 leris aurei torque insignito; Regis Cubicu-
 lario, Magno Exercituum Duci; Castellae
 Praetori, & Supremi Confilii & Camerae
 Praefecto meritissimo.



*Ec gloriosius mihi quidquam , nec ho-
 norificentius accidere unquam poterat,
 EXCELLENTISSIME DOMI-
 NE, quam ut praestantissimi Arnoldi Vinnii in Iusti-
 niani Imperatoris Institutiones Commentarii typis meis , qua
 fieri potuit accuratatione , & characterum nitore atque ele-
 gantia excusi , immortalis TVO NOMINI dicati lu-
 cem adspicerent publicam. Equidem ex quo tempore opus hoc
 Supremi Castellae Senatus iussu in me recudendum recepi,
 ex eo solo scilicet tempore (quo Valentina nostra urbs scien-
 tiarum omnium arx ac domicilium TVO adspectu, aquisi-*

moque gubernatu fruebatur) nihil magis in votis mihi fuit, quam ut hic Auctor tanti Maecenatis patrocinio suffultus in manus studiosorum veniret. Quum vero TIBI, VIR EXCELLENTISSIME, propositum meum minime displicuisse intelligerem (quae TVA humanitas est) occasionem hanc velut e caelo delapsam avidissime adripui. Nam, ut verum fatear, nemo unus est, cui hoc opus potiori jure debeatur, quam TIBI. Si enim operis praestantia spectetur, nemo tam rerum omnium ignarus reperietur, qui non Vinnio palmam prae reliquis Iustiniani interpretibus concedendam ultro fateatur, cum ob ingenii acumen & in extricandis legum nodis dexteritatem; tum ob Latini sermonis munditiem & antiquitatis cognitionem, quibus faciem praefert addiscentibus. Si vero utilitas, quam inde in rempublicam litterariam & emanasse iam pridem, & in posterum redundaturam speramus, ponderetur; infinitum esset, tot recensere viros Hispaniae nostrae lumina (ut de exteris nihil nunc dicam) qui huius Commentarii subsidio in Iure peritissimi evasere. Cuius rei luculentissimum est testimonium, quod nulla fortassis in Hispania Academia est, in quam Vinnius summo omnium plausu non sit admissus, studiosorumque diurna nocturna manu versetur. Atque ex hac Iurisprudentiae aurifodina, tamquam ex equo Troiano, tot prodeunt in dies caussarum patroni, tot Iurisprudentiae Sacerdotes, quos reipublicae gubernaculis admo- veri magno eius commodo videmus. Quod quum animadver- tissent Regii Castellae Dicasterii Senatores, viri gravissimi, & Regni utilitati rerumque nostrarum incremento pro

virili consulentes, huius editionis provinciam mihi deman-
darunt, ut ne Auctorem Iuris curriculo in Scholis conficien-
do destinatum multo aere adolescentes sibi comparare coge-
rentur. Quare nemo mihi iam aut temeritatis, aut impuden-
tiae notam inuret, si Auctorem sapientissimi Senatus iussu
editum, auctoritate munitum, TIBI, EXC. ac Illustrissi-
me DOMINE, dicandum censuerim, qui merito caput
eius a Rege nostro CAROLO III. numquam satis pro
merito laudando, es constitutus. Quod si tantis his doctis-
simorum Patrum sententiis TVVM etiam accederet pa-
trocinium, non dubitabam, quin maiori esset in pretio Ar-
noldus Vinnius apud omnes sacratioris Iurisprudentiae
professores, quibus ad hanc Spartam studiosius in posterum
ornandam acriores stimulos iniecisti. Omnes vero quotquot
litterarum studia complectuntur, TVO isto ad fovendas
Musas animo devinxisti, & veluti signum aliquod ad bene
de republica sperandum sustulisti. Equidem princeps ille
ingenii & doctrinae Plato tum fore beatas respublicas pu-
tauit, si aut docti & sapientes homines eas regere coepis-
sent, aut ii qui regunt, omne suum studium in doctrina ac
sapientia collocassent. Hanc communionem scilicet potesta-
tis ac sapientiae salutem civitatibus esse posse. Nunc
quidem reipublicae nostrae contigit, ut is in ea magnam ha-
beret potestatem, cui in doctrina, cui in virtute atque hu-
manitate percipienda plurimum a pueritia studii fuisset &
temporis. Nam in Parmensi illo orbis terrarum celeberrimo
Athenaeo sciunt omnes, quae ingenii lumina ostenderit,
quum quinquenii spatio eos in litteris feceris progressu, ut

brevi omnibus disciplinis, quibus puerilis aetas impertiri solet, eruditus evaseris. Inde digressus, maiora animo agitando, nihil non rerum satagisti, ut eas artes, quae tum in bello, tum in pace plurimum adferunt & decoris & adiuventi, Politicam, Mathematicam, ac disciplinam Militarem TIBI comparares. Et, ut nihil eorum, quae homine liberaliter educato digna sunt, desiderari posset, Achillem illum Homericum imitatus,

Qui mores hominum multorum vidit & urbes. Galliam, Italiam, Prussiam, Germaniam, maximam partem peragrasti, copiosamque ex illis itineribus scientiae quae civilis, quae militaris, supellectilem ad bene de republica sperandum domum attulisti. Non enim alia fini tot labores exantlandos suscepisti, quam ut cum civibus TVIS communicares, quidquid in via elegantius occurreret, aut fando tuam ad notitiam perveniret. Quare dignus TV fuisti existimatus, quo potissimum ad Lusitanicam & Polonicam Legationes obeundas sapientissimus Rex noster uteretur. In quibus ita te gessisti, ut & Principis commodis inservires, & Nationis nostrae gloriam apud illas gentes tuendam amplificandamque susciperes. Huiusmodi theatra TVIS virtutibus nactus celebritate refertissima, magnitudine amplissima, id effecisti, non modo ut his rebus dignus fuisses, sed etiam ut illa omnia tuis artibus superasse viderere.

Quid vero nunc memorem TVA in rebus bellicis praeclara facinora iam per omnium ora volitantia, quae cum vetustis saeculis & cum omni audeant fortiter antiquitate contendere? Latissimus mihi patebat campus excurrendi per

TVAS laudes, nisi eas vererer culpa deterere ingenii. Vellem ea mihi esset dicendi copia, ut ostendere tentarem, nullius umquam veterum nec laureas, nec auratos currus cum TVIS posse rebus factisque prorsus immortalibus comparari. Equidem dissimulari sine piaculo non potest, qua alacritate, quo ardore animi nondum sextum & decimum egressus annum militari sacramento te adstrinxeris. Illud vero admirationem omnibus incutiebat, quod iam in illa iuvenili aetate magnam rei militaris peritiam non minori temperatam prudentia prae TE ferres: adeo ut non solum aetatis TVAE cum primis comparare, sed ne de maioribus natum quidem quisquam anteferretur. Nulla res maior sine TE gerebatur, quippe cuius neque consilium, neque incoeptum ullum frustra erat. Celeriter quae opus erant, reperiebas: neque minus in rebus gerendis promptus, quam excogitandis eras: quo factum est, ut novis semper muneribus dignus putareris. Quod enim tantum ac tam singulare honoris genus reperiri aut excogitari potest, quod non TVAE virtuti rebusque gestis deberetur? Nonne in illa ad campum Sanctum pugna strenuam operam navasti, quum in ipso pugnandi ardore, vincendique libidine, tametsi vulnere accepto, minime animo concidisti, sed in medios hostes irruens, alios truncando, alios fundendo, immensas edidisti strages? Inde digressus cum delecta Castellae manu, cui imperabas, Bononia ac Neapoli perlustrata, castra fecisti ad Velitras (CAROLI tropaeis insignes) ubi hostes saepius lacestisti, qui ditio- nem illam crebris incursionibus ac rapinis devastabant. Nihil nunc referam, quae Romae, quae Mutinae, quae

Genuae, quae Mediolani praeclara gessisti. Alio me vocat
TVA gloria, nempe ad Terdonensis arcis expugnationem,
in qua singularem illam TVAM animi virtutem satis osten-
disti, quemadmodum & Placentiae. Quum enim in urbem
ad motis scalis irrumpere necesse esset, TV primus, aut in-
ter primos, timore omni abiecto, caput periculo obiectare non
recusasti. Itaque victa est urbs tertium post diem, quo obsi-
deri coepta fuerat. Ticini expugnationi etiam interfuisti.
Placentino bello, quamquam glande humero traiecto, dimi-
candi ardorem haud intermisisti. Denique in celebri illa ad
Padum pugna D. Laurentio sacra die commissa omnem de
TE vicisti expectationem. Sed quid singula confector &
colligo, quasi vero aut oratione complecti, aut memoria con-
sequi possim, quae posteris TVIS si non imitanda, at sal-
tim admiranda reliquisti? Nullius est tantum flumen inge-
nii, nulli tanta dicendi facultas, quae non dicam laudare, sed
ne enarrare res TVAS gestas possit. Qui si Fabriciorum,
Scipionum & Camillorum temporibus floruisses, cum illis
certares de palma. Certe non minorem adeptus es gloriam,
quum paucos ante annos bello Lusitanico praefectus es a
Rege nostro. Disciplinae militaris, quae maxima in TE
est, specimen superioribus diebus exhibuisti ad Manzana-
rem fluvium, qui Carpetanos agros adluit, magna Regis o-
mniumque, qui spectaculo illi interfuere, approbatione atque
plausu. Nam quum octo hominum millia & eo amplius il-
luc deducta fuissent, ut belli species adumbraretur, ea ani-
mi praesentia exercitui imperabas, ut qui disciplinae mili-
taris peritiam habebant, non fictam rem, sed veram oculis

subiici crederent. Nam nihil fere eorum, quae in huiusmodi re accidere solent, praetermisisti. Nunc milites in acie dispositos ordines servare, opportuna loca occupare, fugientium terga comprehendere, fossam transilire, docebas: numerum aciem subito duplicare, quadratam repente constituere, in cuneum mutari, orbis instruere, & alia id genus multa. Quod praeterquam quod TVVM illum animum pugnandi avidum satis ostendit; maximo indicio est, te haud ignorare in omni praelio non tam multitudinem & virtutem indotam, quam artem & exercitium solere praestare victoriam. Nulla alia re videmus, populum Romanum Orbem subegisse terrarum, nisi armorum exercitio, disciplina castrorum, usuque militiae. Hispanos quidem non tantum numero, sed etiam viribus corporum Romanis praestitisse manifestum est. Quid ergo non iam sperare poterimus huiusmodi temporibus, quum Exercitibus a Rege CAROLO Augusto semperque invicto sis praefectus

Ἀμφότερον βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' ἀρχηγός,

ut de Agamemnone Achilles praedicabat apud Homerum.

Res postulare videbatur, ut de maiorum TVORVM rebus bello paceque praeclare gestis, deque natalium nobilitate, qui a SANCTIO illo ABARCA Vasconum Rege multis nominibus claro, longe repetito stemmate derivantur, aliquid dicerem. Sed quamquam haec fortunae dona magna apud homines aestimari scio, praetermittenda censui. Natum (ut elegantissime cecinit Ovidius) genus & proavos, & quae non fecimus ipsi, vix ea nostra voco. Tibi vero nihil opus est, aliena merita aucupari, quum tot tantis

tisque rerum maximarum insignibus abundes, quae vel obscurissimam familiam possint illustrare.

Nonne his meritis novos aliquos honores, novos titulos merebare? Igitur CAROLVS III. de quo, ut de Carthagine Sallustius dicebat, satius est tacere, quam pauca loqui, TE exercitus Imperatorem, Regiique Castellae Senatus Praesidem incredibili omnium laetitia delegit, ac publicae salutis gubernaculis admovit. Quae quidem omnia qua benignitate, qua diligentia exerces! Hoc tantum ceteris maior, quo melior. Ad hoc tam assiduus in publica utilitate dies noctesque procuranda, ut labore ipso refici ac recreari videare. Videmus, ut populorum desideriis, singulorumque etiam hominum precibus occurras. Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: adeunt statim, dimittuntur statim. Ipse autem ut excipis omnes! ut exspectas! ut magnam partem dierum inter tot reipublicae curas quasi per otium transigis! Denique Nullum remittis tempus, neque TE respicis. Unde minime mirandum est, ad conspectum TVI, tamquam ad salutem sanitatemque prorepere alacrem hinc atque inde populum fausta TIBI omnia acclamantem: cuius suavissima facies & amabilis vultus in omnium civium ore, oculis, animo sedet. Omnes redundantem & foras erumpere gestientem laetitiam ostendere concupiscunt. Nemoque reperietur aequus rerum aestimator, qui non CAROLO nostro bene precetur, quod difficillimo tempore TIBI reip. summam tradiderit, ut ferocientes animos ac freni impatientes compefceres. Id quod facillime es adsequutus humanitate TVA ac prudentia sin-

gulari. Omnia reip. vulnera sanasti, quibus praeter TE mederi nemo poterat. Quare omnes TE, qui haec omnia salva esse volumus, & hortamur & obsecramus, ut vitae, ut incolumitati TVAE consulas. Et si in promerendo, ut TIBI tanti honores haberentur, quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus, multo maiorem in his honoribus tuendis adhibeas diligentiam. Id autem est huiusmodi, ut consulas omnibus, ut medeare incommodis hominum, provideas salutem, ut TE Parentem & dici & haberi velis.

Accipe igitur, VIR EXCELL. benigna fronte hos Arnoldi Vinnii Commentarios meae in TE observantiae & in rempub. litterariam benevolentiae testes: atque effice, ut reliquis TVIS insignibus ornamentis TVVM etiam in omnes, qui de Musis quoquo modo bene mereri student, patrocinium adnumeretur.

Deum Opt. Max. veneror, ut TE diutissime servet incolumem. Valentiae Edetanorum. III. Kalend. Sextiles. Anno Domini M. DCC. LXVII.

EXCELLENTISSIMO NOMINI TVO

Devotissimus,
BENEDICTVS MONFORTIVS,
Typographus.

TYPOGRAPHVS AD LECTOREM.

ARNOLDI VINNI Commentariorum editionem pulcherrimam ab omnibus in regione nostra litterarum, ac Iuris civilis praecipuis cultoribus iam diu equidem exoptatam, offero tibi, Lector erudite. Notum tibi est, quantam in hoc sc̄riptionis genere laudem meruerit, & quot ad Iurisprudentiam attulerit praesidia eximius iste Iureconsultus; at non minori laude dignos esse puto cunctos Regii Castellae Dicasterii Senatores integerrimos, quorum singulari beneficio & auctoritate factum est, ut in lucem haec prodiret editio characteribus & chartae nitore ceteris longe praestantior & emendatior. Ab hoc praeterea supremo ac prudentissimo Senatu, non modo mihi concessa est facultas quosdam libros edendi, ex quibus non nihil emolumenti ad officinae onera sustinenda obvenire posset: sed magno omnium commo sancitum est, ut ne aliunde in Hispaniam libri exportarentur, quorum recens in ea facta esset editio. Quare numquam satis pro merito gratias agere poterimus, quotquot hanc artem profite-mur, tam prudentissimis & in nos beneficentissimis viris. Equidem nihil excogitari potest aptius, nihil praestantius ad Typographicam artem nitore suo restituendam, quam si exteris librorum nundinatoribus aditus praeccludatur, qui mercimoniis suis emundis vendundisque laeti lucris facti, hinc discedunt magno nostratium detrimento. Nam non modo crumenas emungunt; sed (quod gravius est) libros adeo mendis deformant & constuprant, ut vi-

deantur nobis velle repraesentare Deiphobum illum Virgilianum,

..... *Lacera crudeliter ora*

Ora manusque ambas.

Ceu facile apparebit, si Iuris nostri antesignani in Hispania recusati cum exemplaribus & Lugduni & Venetiis recensitis vel obiter conferantur. Has ergo ob causas praesens opus in adolescentum gratiam, qui in hac Valentina Academia omnium longe praestantissima Caesareo Iuri strenuam navant operam, VINNII *Commentarios* Typis nitidissimis impressos & quam castigatissimos damus, in quo nec sumtui, nec labori pepercimus. De auctore nostro supervacaneum esset ulla verba facere, quod nemo unus profecto sit vel mediocriter eruditus, quem lateat, VINNIVM in hoc scriptio- nis genere omnes Iustiniani Institutionum interpretes longo post se intervallo reliquisse, ut fatentur omnes cultiores Academiae, in quibus VINNIVS studiosorum manibus dies noctesque teritur: illeque se profecisse scit, cui VINNIVS valde placet. Accipite igitur adolescentes Themidis alumni munus hocce. Quod si vobis meam industriam probari intellexero, dabo operam, ut brevi lucem adspiciant Iustiniani Institutiones cum ipsius VINNII aureis *Notis*, & quantivis pretii. Nunc fidem liberamus, qua sumus obstricti, dias in luminis horas edendi CARLEVALII libros de *Iudiciis*, opus mira concinnitate ac ordine elaboratum. Quae ornamenta eo sunt admiranda magis, quod raro inveniuntur in id genus lucubrationibus. Postea, favente Deo, alia minime vulgaria minimeque iniucunda, Lector erudite, animo agitabimus. Nunc fave atque VALE.

LECTORI

S. P. D.

JO. GOTTL. HEINECCIUS.

CUM multa à viris etiam doctissimis reprehendi solent in operosa illa ac præclara Justiniani legislatione ; tum sæpenumero quibusdam mirari contingit, atque etiam stomachari ; quod Imperator, illa perfectæ, Jureconsultis leges interpretandi illustrandique facultate, tanquam aqua & igni, interdixerit, eosque ad conficienda admonitoria, παράτιλλα atque indices improvido consilio damnarit (a). Legum enim interpretationem tam credunt plerique necessariam, ut ea civitatem non facilius, quam ipsis legibus, carituram, officiumque Jurisconsultorum sine illa præclara facultate inane atque infructuosum Reipublicæ futurum, arbitrentur. Qua fronte inquirunt, Jcti sustinebit nomen, qui leges nescit ? Leges autem quo pacto scire se dixerit, qui verba earum tenet, non vim ac potestatem ? (b) Vim denique ac potestatem legum an quisquam, quantacumque sit ingenii perspicacia, adsequetur, si non modo interpretationes nullæ existent, verum etiam iis, qui hanc Reipublicæ operam navare cupiunt, grave ex lege Cornelia judicium immineat ? (c) Accedit, quod quum nulla lex, nullumque Sctum, teste Juliano, (d) ita scribi possit, ut omnes, qui quandoque inciderint, casus comprehendant, imperfectam admodum ac veluti macilentam esse oporteret jurisprudentiam, nisi illi succus ac sanguis ex interpretatione prudentum accederet. Denique & experientiam, rerum omnium Magistrum, Romanos docuisse existimant, hac Jureconsultorum opera rempublicam carere non posse. Sane enim quid artificiosius unquam scriptum fuisse dicamus, quam illum XII. Tabularum libellum, cujus νομοθεσία βραχέως καὶ ἀπερίπλοως συγχευμένη & posteri, teste Diodoro Siculo (e) unice sunt admirati; quem Crassus apud Ciceronem (f) omnibus omnium Philosophorum bibliothecis anteposuit, quem denique Livius (g) fontem universi publici privatique juris ; & Tacitus, (h) scriptor πολιτικώτατος, finem æqui juris vocare non dubitavit ? Et tamen his legibus latis, statim cœpit necessaria videri interpretatio prudentum disputatioque fori, (i) eique unice acceptum ferimus, quod Jurisprudentia Romana in tam augustam atque admirabilem disciplinam effloruerit. Quod si autem ea Jctorum diligentia carere non potuit civitas, quum exiguum illud legum Decemviralium corpus, tam elegante atque absoluta brevitate verborum compositum, (k) in foro regnaret : qui fieri, quæso, posset, ut opus Justinianicum diffusissimum, atque ex innumeris variorum auctorum fragmentis confutum sine in-

(a) Constit. De auctore. §. 12. de concept. Dig.

(b) L. 17. ff. de legib.

(c) Constit. Tunta, §. 12. de conf. Digest.

(d) L. 10. l. 11. l. 12. ff. de legib.

(e) Diodor. Sicul. lib. 12. cap. 26.

(f) Cic. de Oratore, lib. 1. cap. 44.

(g) Liv. lib. 111. cap. 34.

(h) Tacit. Annal. lib. 111. cap. 27.

(i) L. 2. §. 5. ff. de orig. jur.

(k) Gell. Noct. Att. lib. 20. cap. 1.

interpretum commentariis ab ullo mortalium intelligatur? Quam multa enim in eo sunt subtilia? quam multa abstrusa? Quantum ubique veteris Philoſophiæ, quantum antiquitatis, quantum juris publici latet? Quam sæpe etiam contingit, ut leges quædam ſive vere, ſive in ſpeciem pugnantes crucem figant viris doctiſſimis? Si autem & ii, qui mediocri doctrinæ ac litterarum præſidio inſtructi ad ſacra illa accedunt, aliquando hæſitant, ac in tanta interpretationum copia Delio ſibi naratore opus eſſe fatentur; quid illis contingeret qui omni interpretationis lumine deſtituti veluti illuſi nocte per vaſtam legum ſilvam ire, ibique inveſtigare juberentur artem æqui & boni, non minus occultam ac repertu difficilem, quam fatalem illam virgam fuiſſe fingunt, de qua Sibylla apud Virgilium: (a)

Latet arbore opaca

Aureus & foliis & lento vimine ramus,

Funoni inferna dictus ſacer: hunc tegit omnis

Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbra.

Ita illam Juſtiniani providentiam nonnulli exagitant; nihilque rectius factum eſſe arbitrantur, quàm quod iniquiſſimam iſtam ſanctionem, quam Accuſatio (b) abſona interpretatione emollire cupiebat, tacitis ſuffragiis abrogari æquior rerum æſtimatrix poſteritas.

Enimvero quamvis hæc ſint dictu ſpecioſa, tamen conſideranti rem paulè accuratius, non adeo abſurdum mihi videtur Juſtiniani conſilium, quod illi quam maxime vituperandum exiſtimant. Fuit ſane illa non modo Juſtiniani, ſed ſapientiſſimorum quorumvis legiſlatorum ſententia, non expedire reipublicæ ſubrilioreſ de legibus diſputationeſ, hæſque potius memoriæ mandandæ, factiſque exprimendæ, quam explicandæ eſſe commentariis. Nulli olim Sparta erant Jurisconſulti, nulli Labeones, Sabini, Juliani, qui Licurgi leges interpretarentur: & nullus tamen populus Spartanòſ juſtitia ac diſciplinæ ſeveritate ſuperabat: quum contra Romæ, atque apud ipſoſ Hebræoſ, ubi viri doctiſſimi in interpretandis legibus omnem operam induſtriamque collocabant, eo minus juſ diceretur ſecundum leges, quo magis ferveret jurisprudentiæ atque eloquentiæ forenſis ſtudium. Nimirum ita comparata eſt legum ratio, ut quo ſimplicioreſ ſunt ac paucioreſ, eo certius plerumque ac promptius ex iis juſ dicatur, (c) quantoque magis cives videas τὰς τῶν ἐμπικλατῶν γραμμάτων, porticum implere litteriſ, tanto faciliuſ eveniat, ut quemadmodum viſ morborum prætia mendentibuſ, ſic fori tabeſ pecuniam cauſidiciſ ferat. (d) Et hoc ipſum proſecto veritù Juſtinianuſ conticeſcere juſſit Juriconſultorum oracula, calamifque ſcripturentium commentarioſ feriſ indixit, ne, quod in antiquioribuſ factum eſt, per contrariãſ interpretantium ſententiaſ totum juſ conturbaretur, (e) vel, ut alibi (f) conſilii rationem reddit, ne verboſitaſ interpretum aliquod legibus adferret ex confuſione dedecus, quod & in antiquiſ edictiſ perpetuiſ commentatoriſ buſ factum, qui opus moderate confectum huic atque illuc in diverſaſ ſententiaſ perducenteſ in inſinitum diſtraxerint, ut pane omniſ Romana ſanctio fuerit confuſa. Itaque experientia docuerat Juſtinianum, quantum detrimenti juſ Romanum

pal-

(a) Virgil. *Æneid.* lib. 6. v. 136. ſeq.

(b) Gloſſ. ad l. 1. §. 11. C. de vet. jur. enucl. Commentarioſ illi adplicare. Scilicet faciendò & addendò novaſ leges, nam non prohibet exponi iſtaſ. Sed veriuſ eſt, quod reprobet, ut ſtatim patet.

(c) Strabo *Geogr.* lib. 6. p. 179.

(d) Tacit. *Annal.* lib. 11. cap. 6.

(e) Conſt. Deo auctore. §. 12.

(f) Conſt. Tanta. d. §. 21.

passum sit non modo à fori tintinabulis, verum etiam ab antecessoribus, qui se gryphorum jurisprudentiæ interpretes profitebantur. Quæ enim fuerit horum hominum ante Justinianum conditio, non sine sale docet scriptor ejus ætatis gravissimus, Ammianus Marcellinus, (a) qui postquam eorum temporum caudillos & jurisperitos in certas classes descripsit, de secunda ita judicat: *Secundum est genus eorum, qui juris professi scientiam, quam repugnantium sibi legum abolerere dissidia, velut vinculis ori impositis reticentes, jugi silentio umbrarum sunt similes propriarum. Hi velut fata natalitia premostrantes, aut Sibylle oraculorum interpretes, vultus gravitate ad habitum composita tristiores, ipsum quoque venditant, quod oscitantur. Hi ut altius videantur jura callere, Trebatium loquuntur, & Cascellium, & Alfenum, & Auruncorum Sicancrumque jamdiu leges ignotas, cum Euandri matre abhinc sæculis obrutas multis. Et si voluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas tibi suffragari absolutionem lectiones recenditas pollicentur, si te senserint esse nummatum.* Quum itaque animadvertisset Imperator, ista interpretationum multitudine ac varietate ita jus omne turbatum esse, ut omnia vera falsa, justa injusta, æqua iniqua æque facile in foro deferentur: an frenos iterum laxaret forensi isti atque academicæ licentiæ? An pateretur juri, à se in ordinem qualemcumque redactò, novis argutiis novas offundi tenebras? Nonne consultius erat, omnes Jureconsultorum commentarios ad Garamantas relegare, quam eidem, quo paulo ante defuncta erat, periculo de novo exponere rempublicam?

Quamvis autem ita consilii ratio constiterit Justiniano, nolim tamen ego, quemquam existimare, omnem, quæ nostris temporibus in interpretando illustrandoque jure collocatur, operam atque industriam inanem atque infructuosam mihi videri. Neque ego profecto ita censeo, neque illis Justiniani sanctionibus viris jurisprudentiæ gnaris calamos hodie è manibus extorqueri arbitror. Hanc modo summam jam facio cogitationum mearum, cum periculo haud levi conjunctam esse promiscuam illa jura interpretandi licentiam, adeoque nec æquitati nec prudentiæ refragari gravissimas illas Justiniani sanctiones. Sane quod cum periculo aliquo conjunctum esse arbitramur, id non statim proscribendum aut ab usu removendum dicimus: & quo facile caruerunt Justiniani tempora, quibus, uti ait Cujacius, (b) jus omne clarius & in usu quotidiano erat positum, eo & nos non illico æque facile carebimus hac ætate, qua jus peregrinum, variis locis corruptum, & diuturna desuetudine obscuratum in Fora & Academias penetravit. At quam caute ea interpretandi facultate utendum sit, quamque facile jus in tanta interpretum multitudine in summam ambiguitatem prolabatur, ipsi, qui jam inde ab Irnerii temporibus prodierunt, commentarii, mille plaustrorum onus, unumquemque docebunt. Sane quo plures evolveris, quantoque elegeris majores, tanto magis adparebit, id, quod generatim dixit Callimachus, (c) *μέγα βιβλίον ἴσος εἶναι τῶν μεγάλῃ κακῶν*, de plerisque istis commentariis esse verissimum. Habebis Sardos venales, alios aliis nequiores: sed ut quisque erit amplior ac diffusior, ita pejor videbitur indoctiorque reliquis, ut fatendum sit omnino, beatam futuram fuisse jurisprudentiam, si numquam in manus tam illotas incidisset, ratumque vel istis tantum temporibus fuisset edictum Justiniani, quod legis Corneliæ præ-

(a) Ammian. Marcell. lib. 30. cap. 4.

(b) Cujac. præfat. paratitl. Digest.

(c) Callimach. apud Athen. Dipnos. lib. 111.

nam irrogari jubet tam ineptis commentariorum confarcinatoribus. Quod cui gravius ac liberius dictum videatur, qualem esse oporteat bonum interpretem, & quales sint plerique, quos illi indoctæ doctorum turbæ debemus, commentarii, paucis ostendere juvabit. Multis profecto partibus pulcherrimum istud atque utilissimum interpretum officium absolvitur. Primum enim iis in elaborandum est, ut ipsi iis instructi sint præsiidiis, quibus lucem obscuris ferre poterant: deinde ut genuinam cujusque orationis sententiam eruant, & demonstrant: tum porro, ut nec falsa doceant, nec ab arte sua aliena: potest, ut ne rem minus obscuram confusa tractandi ratione & horrido, & incompto, agrestique dicendi genere reddant obscuriorem. Has vero dotes in bono interprete admirantur omnes, sine his interpretem nec proficere quidquam nec opere pretium facere censent. At interpretes ipsos, in quibus illæ præclaræ virtutes enituerint, non dicam illo Bartolistarum ævo, sed & post felicem illam temporum reparationem, reperies paucissimos, &

Vix totidem, quot

Thebarum portas, vel divitis ostia Nili.

Primo enim, quod ad litterarum præsidia attinet, à quibus instructum esse oportere diximus interpretem, quis, quæso, tam est stolidus, ut ad intelligendum jus Romanum multum adjumenti nobis attulisse existimet eos, qui in Græcas nec Latinas docti litteras, ubi in Græcum vocabulum incidunt, quæ oblata quadam gemma magica exclamant: *Græcum est, non potest legi*; qui *jurisdicção* an *jurisditio* dicendum sit, addubitant: quibus denique *vis* & *potestas* est potestas violenta, violenta autem potestas, quæ invito etiam tutori detur? Quid deinde lucis speres ab illis tenebrionibus, qui rudes historiarum antiquitatum, credere nos jubent, Augustum voluisse adoptare Germanicum, & eoque refragante callide persuasisse cuidam Tiberio, ut ipse Germanicum adoptaret, seque ipsum sibi daret arrogandum; qui serio nobis narrant, ad bestias datos olim homines, *ut bestias deducerent, vel cum iis comederent, vel bestialia facerent*: patres conscriptos dictos, *quod nomina eorum scripta fuerint aliquo loco, vel in corona capitis eorum*: ædituos fuisse præfectos vigillum, quicum iis noctu urbem circumierint: stadia urbium esse *octavam partem milliarum quam Hercules cucurrerit uno anhelitu*: testamenta in procinctu facta dici, *quæ succincte fierent*: libripendem esse *æstimatorem*, & libram æneam rem *æstimatorem vel hereditatem, quia hæc tanquam libra dividatur in duodecim uncias*: actionem Servianam esse *à servando* dictam, & innumera hujus generis alia, quæ ipsi

Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes!

Me autem talia ex barbaro illo ævo & ex Accursii tantum ingenio profecto existimes, etiam post felicem litterarum *καταρτιστικῶν* haud pauca non multo meliora reperies in scriptis eorum, qui incredibilem sibi famam jurisprudentiæ studio pepererunt. Vix itaque est, quod Accursio succenseamus, quum & melioris ævi commentariis, quorum auctorum nominibus nunc parco, legimus, Justinianum parte superioris Germaniæ subacta, Alemanici nomen adoptasse: leges Romanorum dividendas esse in consulares & decemvirales; *Ædiles* quosdam vocatos *curules*, quod *curam* sacrarum ædium gesserint: legem *Familiam* Caniniam perlatam esse à quodam Fusio Caninio: filiosfamilias dici *in patris paternis esse*, quia iis sancta esse debeat patris persona: *Deportare* esse, quod extra *portam* civitatis dare: Claudium Imp. sanxisse, ut *Coff.* pupillis tutor

extra ordinem, id est, non servato agnatorum proximorum ordine, darent: Imperatores dictos esse *Pios*, quod clericis admodum faverint: à consulibus nomina consequutas esse leges Hortensiam & Attiliam: Augustum triplicem libertinorum conditionem introduxisse: & quæ sunt hujus generis alia. Sexcenta enim his similia in commentariis JCrorum non proletariorum vel capite censorum, sed classicorum quoque animadvertes, si te eorum lectioni dederis. Hos vero an satis instructos ad hoc interpretandi munus accessisse credibile est? An non jure potius istis occlames:

Non tali auxilio, nec defensoribus istis

Tempus eget.

Quod deinde ad genuinam orationis sententiam attinet, eam non modo ex ipsis verbis, eorumque significatione, verum etiam ex conjunctis loco & tempore eruendam esse, ii omnes censent, qui sunt artis illius *eguntur* paulo peritiores. Eo consilio olim Aristotus Labeo, Jureconsultorum suæ ætatis facile princeps, teste Gellio (a) in *Grammaticam sese & Dialecticam*, litterasque antiquas altioresque penetraverat, & *Latinarum vocum origines percillens ea præcipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur*. Quumque hodie libri nostri ex variis variorum fragmentis tanquam centones conluti sint, recte suspicati sunt viri quidam doctissimi, genuinam legum singularum speciem adsequi posse neminem, nisi qui comparatis inter se conjunctisque fragmentis, quæ ex eodem libro supersunt, omnibus, de quo juris capite ibi actum sit, in numero habeat. Sane hujus mysterii indicium jam pridem fecerunt viri quidam doctissimi, ejusque usum post Ant. Augustinum, Jac. Cujacium, P. Fabrum singulari diatriba Jac. Labittus; exemplis autem illustrissimis Jo. Goeddeus & Jac. Gothofredus ostenderunt, viri sane in arte nostra summi,

Quos eget penna, metuente solvi,

Fama superstes.

Sed quotusquisque vel olim vel hodie in tanta litterarum luce non infra JCrî dignitatem esse putat, litteras illas attingere, quibus se plane immergit Labeo? Quotusquisque se tantis exemplis excitari passus est, ad illud fragmenta inter se comparandi artificium? Tantum sane abest, ut istud adhibuerint interpretes, ut plerique illud hodiernum alto supercilio despiciant, & per contemptum adnumerent revelationibus. (b) Permultum porro ad libros nostros intelligendos utilitatis adferre Græcos interpretes, res ipsa docet, & præclare demonstrat Car. Hannib. Fabrotus. (c) *Equidem*, inquit Vir Doctissimus, *non inficior, ne vos esse quosdam & παρορμήματα in Græcorum commentariis, sed hæc fere leviuscula sunt præ iis, quæ verissime & diligentissime Græci nobis explanata reliquerunt. Et ut de cæteris taceam, qui nobis titulum de fideicommissariis hereditatibus fidelius & doctius explicavit, quam Theophilus noster? Quis titulum de litterarum obligatione & titulum XII. Institutionis tertiæ feliciter enarravit, quam idem auctor gravissimus, ut adpellat Cujacius, interpretum facile præcipuus? Quis Latinorum, queso te, Lector, Institutionis, hoc est, libellum aureum accuratius interpretatus est? Et paucis interjectis: Quantum profecerit Jac. Cujacius, oculus jurisprudentiæ, legendis & enucleandis Græcorum commentariis, ignorare non potest, nisi qui peregrinus est in ejus scriptis. Quam multa præclara, neque in scholis juris decantata, neque in doctorum*

com-

(a) Gell. NoË. Attic. lib. 12. cap. 10.

(b) Jac. Gothofred. Pref. Comm. ad Reg. jur.

(c) Fabrot. Apol. pro Græcis, edita cum Exercitationibus 12. Paris. 1639.

commentariis protrita, hinc hauserit, sciunt æqui & periti harum rerum iudices, iniqui vero & Græcæ linguæ nescii dissimulant, aut, quod verius est, non vident: oculique eorum ad hunc solem suffunduntur. Sed quotusquisque Jctorum hodiernum Græca hæc attingit? Quotusquisque ejusmodi libris vel locum in bibliotheca concedit, vel quidquam inde in usus suos depromit? Existat commentarius in Institutiones, satis tritus doctorum manibus, in quo ubi βασιλικῶν incidit mentio, auctor de iis non aliter loquitur, ac de opere sibi ignoto, ac jam pridem perdito, & de quo nihil habeat, quod pro certo adfirmet, quam quod Basilica vocati sint libri, qui contineant leges ab Imperatoribus promulgatas & compositas. Alii, qui nihil ignorare videri volunt, Ottonis Taboris exemplum sequuntur, & Græculos illos nugivendulos nihil ad nos pertinere, fabulisque meis indulgere clamant. Quam multa itaque fugisse oportet plerosque interpretes, qui hoc insigne prælidium nullo loco habuerunt, famæque suæ metuerunt, si tam magnum ac memorabile facinus ausi, ad illa Græcorum oracula proficiscerentur? Quid porro de veritatis dicam studio, quo nihil prius, nihilque antiquius esse debebat interpreti? An tu illam feliciter repertam fuisse dicas veteribus, qui illam veritatem investigandi ratiocinandique artem sciebant cum ignarissimis? An à novis plus speres, qui Petri Rami dialecticæ innutriti, unum didicerant τὸ διχοτομεῖν, id est, artem egregiam, quinque digitos in duos ordines distinguendi? An tu porro veritatem quæras in eorum commentariis, qui id sibi negotii datum credebant, ut omnia superiorum placita labefactarent ac subverterent, & quasi clavum clavo, sic opinionem opinione trahentes eodem demum rem perducerent, ut jam non difficile videatur sententias, etiam absurdissimas mille Jctorum testimoniis stabilire? Observavit Franc. Hotomanus, (a) celebrem illum, Andream Tiraquellum sæpe in libris suis, quos citationibus auctorum instructissimos edidit, postquam consentientia centum aut plurium doctorum suffragia accumularit, hanc aut similem orationem subjungere: *Ut videas, amice Lector, nihil esse in jure nostro non ambiguum, & disputationibus ac controversiis involutum, volo tibi totidem, aut plures, recensere, qui sunt in opinione prorsus contraria, & sub hæc ingentem aliorum doctorum indicem pertexere, qui in alia omnia eant. Quid vero veritatis studioso utilitatis adferat illa discrepantium opinionum farrago, nisi ut perfecta illa idem sibi contingere videat, quod tribus consultis advocatis contigisse sibi queritur Demipho apud Terentium: (b)*

Fecistis probe:

Incertior sum multo, quam dudum.

Accedit, quod quum inter omnes constet, veritatem non auctoritate doctorum, sed legum rationumque fundamentis niti; plerisque interpretantibus cura potior semper fuerit glossæ, quam recta ratio legum & auctoritas. Hinc ubique in libellis hujusmodi doctorum turmæ in aciem educuntur, manatque hoc exemplum in fora, in quibus certam præsumunt victoriam, seque jactant magnifice, qui pro se Sandium, Christinæum, Wesembecium, Schneidwinum, Carpzovium, Mevium vades dederunt. Quasi vero verissimum sit, quod plurimis videtur, & non æque facile sit, alium glossatorum exercitum conscribere, qui priori opponatur. Jam quod proximum inter virtutes interpretis posui, ut ne in rebus ab arte sua alienissimis occupetur, quanti momenti sit, nemini dubium

(a) Hotom. Antitribonian. cap. 14.

(b) Terent. Phorm. Act. II. scen. 4. v. 18.

bium esse potest. Quis enim philosophum ferret, qui de virtute disputaturus, quædam de primis mundi elementis præmitteret, deinde accurate explicaret, quid sit glacies; hinc porro, quot sint conjugationes, quotquot partes orationis, subtiliter disquireret, ac demum in rem præsentem veniens, an sit virtus, quid sit, & quotuplex, brevissimis verbis attingeret potius, quam explicaret? Mirarer sane, si qui hunc philosophum audiunt, non ut olim abderitani, Hippocratem quendam arcesserent, qui homini nimis inepte stulto, primum crebram ambulationem, ad hoc betæ malvæque esum, postremo vomitum præscribat, & ita perpuratum mittat Anticyras. Ast ita tamen disputare solent quidam non infimi sublellii juris interpretes, qui explicaturi titulos Justiniani, primum quærunt an instrumentis notariorum præmittenda sit invocatio nominis divini? Num & Imperatoris nomen & titulus universus? An eligi possit Imperator, nisi origine Germanus? Talisne fuerit Carolus M.? An & Episcopum è gremio Ecclesiæ eligi oporteat? Hinc ad rem ipsam se accingentes disputant, fueritne Justinianus orthodoxus? An litteras norit? An & Latinam linguam percullerit? Unde triumphus nomen acceperit? An Imperator sit mundi dominus, provinciamque Romani imperii alienare possit? Valeatne ac rata sit donatio Constantini Magni? En egregiarum quæstionum farraginem, quibus enodatis, tunc demum intelligi à nobis existimant horrible istorum verborum secretum: *Imperator, Casar, Flavius Justinianus, Alemannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, inclytus, victor ac triumphator semper augustus, cupida legum juventuti* S. Iidem in explicanda justitia definitione occupati, anxie quærunt, unde juris nomen descendat? Cur titulus inscribatur de justitia & jure, ac non potius de jure ac justitia? Quæ justitia à Justiniano definiatur? Divina, an humana? Universalis, an particularis? Commutativa, an distributiva? Quare JCTi sint sacerdotes justitiæ? An dentur casus pro amico? Cur rectius dicatur voluntas suam cuique tribuendi, quam suum cuique tribuens? An JCTorum auctoritati cedere debeat auctoritas philosophorum? Tam egregia scilicet doctrinæ ubertas latet in definitione illa Justinianeâ, tantæque molis est, explicare decem illa verba: *Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. Ludere quibusdam videbor, & quæstiunculas nihil ad rem pertinentes fingere, quæ nemini interpretum in mentem venerint. Sed venisse illas in mentem non illi Bartoli & Baldi soboli, sed JCTis, qui patrum nostraque memoria floruerunt, celeberrimis, ex ipsorum commentariis demonstrare in proclivi esset, nisi vel suspicione aliis insultandi carere mallet. Ita vero leges interpretantibus, non difficile erit conjicere, quam nulla iis cura fuerit ordinis, quem semper sapientissimus quisque plurimi fecit. In tali enim quæstiuncularum sibi admodum dissimilium farragine non magis ordini locus est, quam in rudi indigestaque mole, ex qua hoc universum efformavit Deus. Unde vir elegantis ingenii, M. Antonius Muretus (a) de Glossatoribus disserens: *Qualem, inquit, nobis illi cujusque generis præceptorum farraginem reliquerunt? Ut si quis rusticus bordeum, triticum, victam, legumina, in unum acervum conferat, non illius acervum horum commentariis existimem perturbatiorem fore. Mibi quidem, quum in eos inspicio, sæpissime Ovidiana illa de Chao in mentem veniunt:*

Quaque erat & tellus, illuc & pontus & aer.

*** 2

(a) Muret. lib. 11. Orat. 17.

Non

Non aliter enim apud hos, ubi verbi causa de auctoritate magistratum agitur, dicitur etiam aliquid de testamentis: ubi de emptione & venditione differitur, aliquid de penis, aut de auctoritate tutorum inseretur. Nihil est denique quod certam sedem aut domicilium habeat, nihil, quod non alienissimo aequo ac suo loco pertractatum reperiat. Inde illa crebra ex uno in alium locum reiectiones, quum te, quod hic agendum ac tractandum erat, id jubent ex alio petere, in quo tale quidquam agi, nunquam, nisi admonitus, divinare potuisses. Prorsus, ut si quis paterfamilias vestem non in vestiario, sed in arca panaria conderet, panem ex puteo hauriret, pisces in nemore, lepores in piscina inclusos haberet. Apud Aristotelem primò Physicorum recensetur opinio veterum quorundam, in quibus fuit & Anaxagoras, qui quidlibet in quolibet inesse dicebant, idque exprimebant hemistichio quodam, ut opinor Empedoclis: *πᾶν ἐν παντί μίμνηται*. Hoc an in Physicis vere dicatur, viderint, qui illa tractant: de talium certe interpretum commentariis verissime dici potest. Hæc de glossatorum libris Muretus, quæ & in melioris ævi commentarios juridicos plerisque cadere re ipsa deprehendit, qui istos inspexerint. Denique ultimam interpretis virtutem in sermonis puritate ac perspicuitate positam esse diximus. At nescio an & hanc extra Cujacii scholam adeo multi interpretes sint adsequuti. Quamvis enim depulsa vetere illa barbarie, purius scribere cœpissent viri docti; Jctorum tamen libros adeo infecit illud Accursii absinthium, ut si Papinianus in vitam rediret, nova ei addiscenda esset lingua, illos commentarios legere cupienti. Jctorum enim laudem se sustinere posse plerique dubitant, nisi lingua Jureconsultorum, id est, barbara utantur. Hinc ubique *summant*, *ampliant*, *subampliant*, *limitant*, *sublimitant*, *casuant*: ubique *resolutiones legum* & similes elegantias pollicentur, ubique *præcticas præcticas*, & præjudicia in *terminis terminantibus* & clausulam illam utilissimam *rebus sic stantibus* & sexcenta hujus generis alia tanquam mellitos verborum globulos spargunt, quibus condimentis si aliquid salis adspergas, elegantissima nimirum illa Brocardica quæ vocant, veluti: *casus voluntatis comprehendit sub se casum impotentia: ab actionibus ad interesse libera nos Domine; solus cum sola non præsumitur orare Pater noster*, & similia: tunc sane habebis verum venenum aqua Stygia dilutum, cujus habitu ipso bonæ mentes exanimantur. Tales sunt plerique, qui tabernas rumpunt, Jctorum commentarii. Iis itaque an magna utilitas per tot sæcula allata sit reipublicæ, & an non melius eorum auctores operam in conficiendis indicibus Justiniani consilio collocassent, illi viderint, quorum non amant similes labra lactucas.

Quæ quum ita sint, singulari profecto ac præcipua laude digni videntur pauci illi, sed boni, quibus meliorem mentem indidit Deus, ut quæ in jure nostro sunt obscura atque ambigua feliciter illustrare ac distinguere conarentur. Quo in numero (quod ad Institutionum interpretationem attinet,) præter Cujacium, Giphanium, Janum à Costa, & quosdam alios, & ARNOLDUM VINNIUM Jureconsultorum eximium, haud postremo loco ponendum arbitror. Sane ex quo me jurisprudentiæ dare cæpi, mihi ejus commentarius præ aliis placuit, & ad solidiorem doctrinam connitenti maximo fuit adjumento, ut postquam aliis jura interpretari jussus eram, nullum fere librum auditoribus meis obnixius commendandum judicarem, quam commentarium Vinnii, ex quo ipse fructum ceperam uberrimum. Vix enim ulla est boni interpretis virtus, quæ non in Vinnio nostro eluxerit. Attulerat ad jurisprudentiam ea

præ-

præsidia, quæ paulo rariora sunt in nostri ordinis hominibus, puta, haud vulgarem Latinarum Græcarumque litterarum facultatem, diffusam omni auctoritatis lectionem, notitiam antiquitatum haud mediocrem, tantum denique ingenii ac iudicii acumen, ut nec vulgaribus pragmaticorum sententiis ipsique Triboniano esset addictus, nec Cujacium, Ant. Fabrum, Rein. Bachovium, aliosque, ubi novi quid inferunt in artem, cæco impetu sequeretur, sed legum rationumque pondera ubique cum cura expenderet, nulliusque auctoritate se pateretur in transversum agi. Deinde id quoque habet Vinnius noster, ut genuinam Justiniani sententiam ubique cum cura investiget, neque eum pudeat ex philologiæ latifundiis petere, quibus jurisprudentiam locupletaret. Et quamvis mysterium istud atque artificium leges ex eodem libro depromtas comparandi conjungendique facilius in pandectis & codice, quam in Institutionibus, usum suum exserat; nihil tamen reliqui fecit, ut, ex quibus auctoribus vel fragmentis singuli paragraphi descripti sint, & quomodo illi à suis auctoritatibus discrepent, quantum fieri potest, ostenderet, non ut haberet, ob quod insultaret Triboniano; (in quo mustaceo multi hodie quærunt laureolam,) sed ut rationem ejus mutationis redderet candidè. Laudanda quoque est Vinnii nostri opera, quam in conferenda Theophili paraphrasi posuit, sane quam utilissimam. Quamvis enim plerisque vapulet hic Theophilus, & aliquando ab iis quoque, qui eam nunquam evolverunt, exagitetur; permultum tamen lucis eum fœnerare Institutionibus, Car. Hannibal Fabrotius, cujus verba quædam supra dedimus, pridem evicit. Et sane non hic nobis res est cum Theophilite quodam, quem aliqui verbis quibusdam Cujacii (a) decepti Accursio faciunt juniorem, sed cum Theophilo, viro illustri, & Antecessore, cujus opera ipse Justinianus in conficiendis Institutionibus usus est. Hunc ipsum enim esse illum paraphrasten, multis argumentis constat. Primò Theophilum Triboniani *συναργόν*, Antecessoris munere Constantinopoli functum novimus. (b) Antecessorem autem etiam paraphrasten fuisse, inde adparet, quod in codicibus vetustis singulis libris illa subnectuntur: *ἡ ἀ (β' γ' δ') Γενετήριος Θεοφίλου Ἀντικειμένου feliciter*. Eundem deinde Constantinopoli vixisse, inde patet, quod ubicumque ejus facit mentionem, eam vocat *ταύτην τὴν πόλιν*, vel *ταύτην τὴν βασιλευσάντην πόλιν*, *hanc urbem* vel *hanc regiam urbem*, (c) uti solent, qui urbis, in qua vivunt, meminerunt: Deinde, quum Theophilus Antecessor Justiniani temporibus floruerit: ejusdem ætatis esse paraphrasten nostrum, res ipsa docet. Quemadmodum enim omnes qui Justinianum antecesserunt, Imperatores Christianos ita describit, ut eos inter homines non amplius fuisse, statim adpareat, veluti ubi meminit *Ζηνοῦ τῆς θείας λέγειας*, (d) itemque *τῆς λέγειας λέγειας Γενετῆρος*, (e) ita Justinianus ipsi semper est *θειότατος ἡμῶν δεσπότης*, *ἡμέτερος βασιλεὺς καὶ εὐσεβέστατος ἡμῶν βασιλεὺς*, *ὁ μερότατος ἡμῶν βασιλεὺς*, *sacratissimus Dominus noster*, *Imperator noster*, *Imperator noster piissimus, clementissimus noster Imperator*, (f) quemadmodum & Theodoram *ἡ εὐσεβέστατη ἡμῶν δεσπότης*, *piissimam dominam nostram*, (g) & constitutionem Justinianeam *διάταξις ἢ ἐπαγγελος ἐξῆρωσις*, *constitutionem nuper promulgatam* (h) adpellat. Quæ sane omnia non sunt verba

de

(a) Cujac. Recitat. ad tit. Inst. de aedion.

(b) Conk. Tanta, §. 9. de conf. Digest.

(c) Theoph. §. 7. Inst. de satisfat.

(d) Theoph. §. 34. Inst. de aed.

(e) Theoph. §. 3. de donat.

(f) Theoph. §. 1. de usuc. §. 3. de don. §. 7. quib. al. licet, §. 7. proæn.

(g) Theoph. §. ult. Inst. de usuc.

(h) Ibidem.

de principe dudum satis functo differentis. Accedit, quod Theophilus sæpe paraphrasi suæ intexit formulas antiquas & ritus veteris jurisprudentiæ proprios, quos quum iudice Fabrotto (a) non aliunde, quam ex Cæi, Ulpiani, aliisque veterum Jurorum libris, depromere potuerit, satis profecto manifestum est, cum ante commune istud illorum librorum naufragium vixisse, verosimilissimumque fuisse in istorum operum lectione. Quod denuo non in Theophilum quemdam Græcum novum, sed in celeberrimum illum Scholæ Constantinopolitanæ Antecessorem, Theophilum cadit. Denique quod palmarium esse, vir eruditissimus, & collega olim conjunctissimus, Nicolaus Hieronymus Gundlingius (b) observavit, Theophili nostri paraphrasin jam Thalelæus laudavit, & ille quidem quem cum Triboniano, Theophilo aliisque pandectarum composuisse, easque postea *κατὰ νόδα* vertisse novimus. Quod cum & Fabrotto (c) viderit, mirum sane est, virum ipsum doctissimum Theophilum Justiniano non quidem multo juniorem, à Theophilo tamen pandectarum & Institutionum architecto diversum credidisse, quasi ipse paraphrastes ætatem suam non multis iisque luculentissimis prodiderit indicibus. Quod si itaque Theophilus noster fuit Justiniano *σύνχρονος*, ceu hæcenus mihi videor demonstrasse; gratissimum procul dubio cupidæ legum juventuti fecit Vinnius, quod eum diligenter consuluerit, & inde textum Institutionum vel stabiliverit, vel explicarit. Nec minus laudandum videtur singulare veritatis studium, quod idem ubique præ se tulit, dum manum ad scribendum adpulit. Rationibus enim solidis legumque auctoritate munivit omnia quæ docuit, nec in ullius juravit verba magistrum. Tantum etiam abest, ut more glossatorum quævis convellere ac in dubium vocare studuerit vir doctissimus, ut plerasque istas lites erudite finiverit, & plerumque optimam maximeque legibus consentaneam elegerit opinionem, eamque ita firmarit, ut aliquando & invitos in sententiam suam pertrahere videatur. Ordo porro, quo utitur, ipsi rei quam maxime convenit. Textum explicat accurate, scrupulos, quos injici lectori posse prævidet, cum cura eximit ipsam doctrinam, quæ quovis loco proponitur, egregie illustrat, nec dissimulat, quæ vel novis Justiniani constitutionibus vel desuetudine & moribus patriis mutata aliter in foro observantur. Nullos hic videbis excessus, ad rem nihil pertinentes, nullas quæstiones otiosas & intempestivas deprehendes; nec hic observabis à Vinnio, tanquam à coquo Plautino, diversa jura confundi. Nam ubique jus Romanum à moribus patriis accurate sejungit, & nihil facit reliqui, ut utriusque principia à lectore suo intelligantur. Denique & oratione utitur, non quidem calamistris intorta, sed pura tamen, & satis plerumque Latina, ut saltem non adfectasse videatur illam barbariem, qua plerisque Jurisconsultos commentarios suos inquinasse diximus. Quo gratior mihi fuit opera, quam à me vir integerrimus, novam hanc editionem meditatus, flagitavit. Quum enim intelligeret, me quædam margini exemplaris mei, ut fieri solet, adnotasse; non dubitavit à me petere, darem operam, ut Vinnii hic commentarius & nitidior & emendatior prodiret. Et sanè nihil, quod mearum erat partium, prætermissem, si paulo plus temporis ad eam rem fuisset concessum. Quantum tamen à me præstitum putem, paucis accipe. Primo totum commentarium & relegi & recensui, & quidem ita, ut non modo aliquot millena sphal-

ma-

(a) Fabrot. *Prefat. ad Theoph. Inst.*

(b) Gundlingian. *Part. 11. Obs. 11.*

(f) Fabrott. *ibid.*

mata quæ in priorem editionem irreperant, sustulerim, sed & interpunctiones, antea vitiosissimas, vel plane omittas, restituerim diligenter. Deinde Auctores quos laudat Vinnius, plerosque evolvi, & ubi ipse solum librum expresserat, ego capita etiam & aliquando paginas adjeci, ne Lectori loca illa evoluturo istud quærendi tedium esset devorandum. Præterea notulas quasdam seu additiones, quas à VINNIANIS primis nominis mei litteris; HEIN. distinxim, passim insertas animadvertes. Eas quum jam olim exemplaris mei margini allevissem, ideo edi passus sum, quia quarundam me ne nunc quidem poenitet. Sunt eæ non unius generis. Quædam illa, quæ à Vinnio non adeo plene traduntur, suppleunt: aliæ non satis accurate posita emendant: sunt etiam, quæ quasdam conjecturas de legibus à Vinnio vel emendatis vel explicatis proponunt Lectorisque judicio submitunt. Non existimo futurum, ut mihi id auso quicquam succenseat. Quæ enim injuria est, alieno libro adspargere notulas? Et quid facilius erit Lectori, cui mea haud placebunt, quam breves illas stricturas prætermittere, maxime quum & paucæ sint, nec adeo multis paginis librum reddant auctiorem? Si qua in re stilus lapsus sit, id in meliorem partem interpretabuntur; quibus aliquis candor inest, quam festinantibus operis pagellæ inter alias occupationes & in medio luctu domestico, descriptæ & sæpe vix relectæ Lugdunum transmittendæ fuerint. Emendationi præfuit ipse, qui sumtus fecit, vir integerrimus. Quumque is & ob solertiam & ob linguæ intelligentiam par omnino fit huic operi, & jam plura ejus dexteritatis dederit documenta; res ipsa jam quoque ostendet, verissimum esse, quod scripsit Poeta: (a)

Dominum videre plurimum in rebus suis.

Tu, Lector, fruire editione, omnibus anterioribus, si quid video, meliore; mihi que, Tua causa omnia volenti, fave, & ex voto Vale. Franequæ Friflorum x. Kal. Mart. c13. 10. CCXXVI.

(a) Phædr. lib. 11. fab. 3. v. 29.